

se dicuntur, per §. 1. & 2. *Institut. de act.* Sed & hoc respectu bene videtur defendi posse, tria esse objecta juris, nimirum personas, res, & actiones per §. *fin. Instit. de jur. nat. gent. & civ.* Etsi ferè illa objecta in uno tractatu *de actionib.* simul concurrant. Nam aliàs meminimus disputatum fuisse, utrum personæ inter objecta juris referendæ sint, ut per Mynfinger. & Dd. *ibid.* De eo quæritur, utrum clerici foro suo renunciare possent? Similis quæstio proponitur, utrum nobilis possit renunciare privilegiis in favorem nobilitatis introductis? Et, quid de studiosis? Quantum ad clericos attinet, negantur de jure Canonico, foro Ecclesiastico renunciare posse, quò minus negotiis civilibus sese immisceant, aut alios se gerant, quàm clericos. De jure tamen feudali clericus feudum accipere potest à laico, & ita se ipsi subicere *arg. 2 feud. 101.* Quantum ad studiosos attinet, videtur paulò minor versari consideratio, quando quidem & certa sua tempora studendi habeant, nec semper & in perpetuum studiosi mansuri sint, sed de hac quæstione per illos, qui ex professo *de privilegiis studiosorum* tractaverunt, ut Rebuff. & alii.

THEORICORVM PRÆCEPTORVM

propositio vigesima nona.

Ratione quoque domicilii subicitur quis jurisdictioni alijus *l. 2. C. de jurisdic. l. ult. C. ubi in rem actu.* item ratione contractus *l. 19. l. 20. C. de judic.* Donel. 17. *comment. cap. 14.* & delicti *l. 1. C. ubi de crim. l. 3. ff. de re milit.* Donell. 12. *commentar. cap. 16.* Quinetiam reus criminis, ubi deprehenditur, ibi forum sortitur & judicem habet, *l. 1. C. ubi de crim. l. 11. C. ubi quis de curialib.* Donell. *d. cap. 16.*

Forum sortitur.

Etsi verò privatorum consensus judicem non faciat eum, qui nulli præest iudicio *l. 3. C. de jurisdic.* Jurisdictionem ta-

G 2

men